IOHANNIS HOORNBEEK ORATIO INAUGURALIS DE SCHOLIS THEOLOGICIS...

Johann Hoornbeek

Digitized by Google

Digitized by Google

H 744.23

Digitized by Google

1044.23

1244
23
B

Digitized by Google

1044.23
Digitized by Google

IOHANNIS HOORNBEEK

ORATIO INAVGVRALIS DE SCHOLIS THEOLOGICIS.

DICTA

In Academiâ Lugd. Bat. frequentiſſimo Auditorio, die IX. *Iunij* Aº cIↄ Iↄc LIV.



MED. PALAT. BIBL. CAES.

LVGD. BATAVOR.
Ex Officinâ JOHANNIS & DANIELIS ELSEVIER. Academ. Typograph.
cIↄ Iↄc LIV.

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

Digitized by Google

Nobiliſſimis, Ampliſſimiſque Dominis,

D. AMELIO BOVCKHORSTIO, Domino de Wimmenum, Ordinis Equeſtris Aſſeſſori, Rhenolandiæ Præpoſito, & Aggerum Præfecto.

D. GERHARDO SCHAEP, I.V. Doctori, Reip. Amſteldamenſis Conſuli ac Senatori.

D. CORNELIO à BEVEREN, Equiti, Strevelshoeckiæ, Weſt-Yſelmondæ, & Develſteinii Domino, Reip. Dodracenæ Conſuli, & ad Sereniſſ. Britanniæ & Daniæ Reges Ex-Legato.

VT ET

Ampliſſimis, Spectatiſſimiſque Viris, Reipub. Leidenſis Coſſ.

D. PAVLO SWANENBVRG, I.C.

D. NICOLAO vander MEER,

D. IOHANNI vander MARSSCHE,

D. PETRO à WARMONT.

NEC NON

Ampliſſimo, Conſultiſſimoque Viro,

D. IOHANNI à WEVELICHOVEN, I.C. Reip. Leidenſis Syndico, & Nobiliſſ. D.D. Curatoribus à Secretis.

Dominis ſuis plurimum colendis

L. M. Q. D. D.

JOHANNES HOORNBEEK.

1044-23

Digitized by Google

P*OSTQVAM vestro,* Nobiliſsimi Viri, *favore ac judicio in Academiam hanc vocatus, ad ſuſtinendam Profeſsionem Theologicam, ritui in hoc & mori antiquo ſatisfeci, ut prævia munus oratione inchoarem, receptæ etiam conſuetudini indulgendum fuit, ut dictam, Vobis præſentibus, in frequentiſſimo Auditorio, Orationem non aliis, quam Vobis inſcriberem. Quamvis nec edi eam, nec offerri cuipiam adeo è re videbatur, niſi hoc quidquid eſt mos & conſuetudo probarent, vel ſaltem excuſarent. Neque enim ego, illud niſi fuiſſet, abſque rubore aliquo levidenſem opellam illuſtribus nominibus inſignire fuiſſem auſus. Præterquam quod forte etiam aliquid pro me dicere poſſet ipſum Orationis,* de Scholis Theologicis, *argumentum, quod in Scholâ tractatum veſtrâ, ad nullos ire debuit, quam ad ejus mode-*

ratores ſupremos & ἄρχοντας. Vbi, quod neque operis pretium, neque auctoris dignitas, Patronorum conſueta & obvia faciet humanitas, ut, ſi non alicujus videatur, ſaltem nec prodiiſſe pœniteat. Siquidem in nullis magis prædicanda comitas, quam in viris excelſis, quos uti cæteris altiores effert cum naſcendi conditio, tum purpura; ita pares fere facit, ad quorumcunque ſe ſermones & negotia demittens, humilis majeſtas. Adeo, quam glorioſum Academiæ eſt, illos habere Curatores, nobis præſidio ac ſolamini erit ſupra modum auguſto, iſtis frui ſtudiorum laborumque noſtrorum non inſpectoribus magis, quam fautoribus. Vt nihil quidem mihi in fronte hac agendum nunc videatur, quam enixe Deum rogare, ut in ſeros uſque annos ſoſpitet Nobiliſſ. Veſtras Dominationes Academiæ, Academiam Vobis, & nos utriſque.

Votum ſecundet, qui poteſt, noſtrum Deus.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO
DE
SCHOLIS THEOLOGICIS.

Magnifice Rector. Nobiliſſimi & Ampliſſimi Academiæ Curatores: quique iis es, Vir Spectatiſſime, à Secretis. Profeſſores Clariſſimi. Eccleſiaſtæ Reverendi. Doctores, Magiſtri, Conſultiſſimi, Expertiſſimi, Acutiſſimi. Studioſi Iuvenes. Denique quotquot adeſtis, omnium ordinum Auditores, viri honorati.

SI quæ me unquam dicturum trepidatio invaſit, & juſtus benè inchoandi muneris metus ſollicitum habuit, unde, quaque optimâ ratione exordirer, tum certe hic dies, quo

Digitized by Google

primum hoc ex loco verba facturus ſum, in frequenti adeo omnium confluxu, ubi & præſens majeſtas Eorum, quorum juſſu adſum; & Virorum Clariſſimorum, cui inſerendus videor, celeberrimus ordo; & Studioſorum cœtus præ-nobilis; tum ſedis hujus tacita quædam veneratio; &, quod caput rei eſt, dignitas ac onus ſubeundæ hodie provinciæ, merito conſternatum reddunt animique anxium, planè

Vt Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram pallere olim ſolitus, quid tanto dignum choro, exſpectatione, munere dicere queam, & non in ipſo, quod ajunt, limine impingere. Quippe ſic imbecillitatis meæ, ſi quis alius, probe conſcius, & quam non adſit mihi, quod Vobis, quodque meo ipſius ſatisfaciat animo, ſolo Deo fretus, illud Apoſtolicum jugiter ruminans, *non ego, ſed gratia Dei*, ita me hic ſiſto, & Deo imprimis, tum Eccleſiæ, Academiæ, omnibuſq; Vobis & ſingulis proclamo debitorem: nam & hoc idem ſuo nos exemplo docuit Apoſtolus, omnibus omnia debere, tum offerre. Expendenti autem ſeriò, (& hæc ſæpius animum flagellat cogitatio) quam ardua res ſit, iſtius ætatis viriumque hominem ſuſtinere provinciam, ſe longe graviorem, aliis magis aptam, ubi contendendum inter varia, ſæpeque iniquiora de te hominum

num judicia, & tua interim ſincera indefeſſaque ſtudia, nihil æque mentem erigit firmatque ac Johannis iſtud Baptiſtæ, contra vanas aliorum æmulationes divinum reſponſum: *nihil homo accipere poteſt, niſi quod ei datum ſit cælitus.* imo, nihil oneris, virtutum, honoris: addo & adverſitatum, luctarumque. Niſi Deus det, homo non accipit; neque aliud aut habere, aut dare nos poſſumus, niſi quod primùm cœlo viſum nobis impertiri; niſi quod precariò poſſidemus, ut inſtar Lunaris luminis mox in alios refundamus. Neque aliud, neque plus boni præſtamus, quam conceſſerit ſupremus boni omnis arbiter datorq; Deus; & ſinguli juxta certam donorum in nobis menſuram. Ut non quid vel tu cupias, vel velit alius, ſed quid poſſimus, quid ex Dei gratia, adhibitis precibus, & labore ſedulo, valeamus, hoc conſiderare æquum ſit. *In Tabernaculo Dei offert unuſquiſque quod poteſt. Alii aurum & argentum, & lapides pretioſos; alii byſſum & purpuram & coccum, & hyacinthum. Nobiſcum bene agitur, ſi obtulerimus pelles & caprarum pilos.* inquit de ſe haud ſemel Hieronymus; & Origenes, ante eum, vovit, ſibi ut liceret vel tali aliquo de ſe ſacrificio Deo ἀπαρχεῖν. Quod proinde nobis idem uſurpare, & ab eadem ἀπαρχῇ exordiri fas ſit. Cogitanti autem & conferenti varia habendæ pro more

in muneris introductione orationis argumenta, quorum multa noveram ab aliis occupata, viſum de *Scholis* dicere *Theologicis*, in iiſque ſingularem Dei ſpectare cum ſapientiam, tum bonitatem, quod omni tempore, & apud *Iſraëlitas*, & apud *Chriſtianos* (nam de utriſque dicturi ſumus) eas ita voluerit Eccleſiæ ſocias, ut parem utriuſque habere viſus ſit rationem ac curam. Etenim ſi prima Eccleſiæ & Scholæ, à rerum omnium exordio, reputemus rudimenta, paria eadem, quinimo Schola noſtra ante Eccleſiam, & prius magiſtri liberorum fuerunt Parentes, quam Eccleſiaſtæ. Antè tenuit Scholam Adamus, quam cum ſuis conſtituerit Eccleſiam, & domeſticâ fuerunt præformati inſtitutione, qui domeſticam modo componerent Eccleſiam, niſi illam quoque jam Eccleſiam merito habeamus. Judæos audimus? prima inter primævos mundi diſcipulos diſputatio ex Scholâ nata, de hominum futuro poſt hanc vitam ſtatu, & an ullus boni malive ſenſus homines à morte caperet? Ajunt: Cainum cum Abele fratre contendiſſe, nullum poſt hæc exſpectandum homini judicium, aut judicem, nullum aliud ab hoc ſæculum, mercedem aut præmium juſtis ſive injuſtis nullum, omnia hoc mundi vitæque fine terminari: quin nec ullâ divini Numinis Providentiâ mundum regi, & res admi-

Digitized by Google

adminiſtrari: adeo ut & mundum à Deo creatum, in contentionis fervore quoque negaret Cain, nec negaret ſolum, ſed & repugnantem fratrem, ideo quod reclamabat, funeſtâ cæde exſtingueret. Sic quidem Iudæi, quæ an accipiatis, *Auditores*, parum equidem laboro, quamvis facilius admiſſuros confidam, quam quod Muhammedani, ad riſum verius concitandum, tamquam fraternæ diſſenſionis, tum necis cauſam adferunt, indignatum Cainum fuiſſe, quod ſibi conjugium Parentes imperaſſent cum gemellâ Abelis, quum ſuam utpote pulchriorem mallet, Abeli, propter aliquantum ſc. generationis intervallum, Parentum conſilio, deſtinatam. Nempe ita nugari, & comminiſci quævis neceſſe habent, quibus non ſatis eſt continere ſe intra Scripturæ modeſtiam, nec juvat ſacrum premere ſilentium, vel ubi id Deus ſuo jam exemplo commendat: nam tantummodo loquutum cum fratre Cainum Textus memorat, non quid dixerit, eoq; illius inquirendi labore Deus oppido prudenter nos liberavit. Propius ad nos ſpectat, quod in S. hiſtoriâ, poſt Cainum, ad alterius nempe Abelis, Sethi ortum, filiique hujus Enoſchi legitur: *tum cœptum invocari nomen Domini:* videlicet in publicis magis cœtibus, hominumque frequentiâ, ut hoc ipſo Dei anterior cultus Scholis fere & familiis adſcri-

 ptus

ptus videatur. Nam quomodocumque illa capiantur, quæ variam quidem apud Theologos ſortiuntur expoſitionem, ſive ut ſenſus ſequior ſit, cœptum profanari tum nimis palam Dei Nomen, ut initium indicetur ac via improbitatis iſtius, quæ poſtmodum mundo diluvium invexit; ſive ſenſus melior, ut cœperit ibi, ſecus ac in progenie Cainis, Deus coli ac celebrari: hoc conſtat, veram religionem, quæ nunquam non conſervata apud aliquos fuit, in familiis antea ſcholiſq; domeſticis præcipuè viguiſſe. Atque, ut Plutarchus bene obſervat, Antiquos litteras amicis cognatiſq; ſuis tradidiſſe; & ſero adeo cœptum mercede doceri: parem cum S. litteris docendis diſcendiſque initio rationem fuiſſe, eaſque expoſitas primùm à Parentibus fuiſſe traditaſque domeſticis & cognatis, credere par eſt. Ne iſtud hoc loco referam, quod Sethum, & ejus nepotes, à parente Adamo commonitos de futuro mundi ἀφανισμῷ, qua aquâ, qua igne, doctrinam ſiderum motuumque cœleſtium, à Majoribus acceptam, columnis duabus inſcripſiſſe, ne vel aquâ vel igne prorſus interirent, Flavius Joſephus in Antiquitatibus commemorat, publica nempe ſæculi illius, ſcholarum, ſtudiorumque ad poſteros monumenta. Cæterum orbe expurgato caſtigatoque horribili diluvio, ſacer Janus, Noachum

chum dico (quem, prioris atque alterius mundi ſpectatorem, ſub bicipiti Jano cultum olim, Eruditorum eſt ſententia) non minus in ſuâ domo ac progenie idem ſervari inſtitutum Scholarum Theologicarum voluiſſe, quod antea obtinuerat, documento ſunt Scholæ nobiles in utraq; familiâ *Semi*, atque *Heberi*, magnis præconiis in Judæorum ſcriptis celebratæ, ut præcipua gymnaſia, ad quæ ſtudioſi S. litterarum confertim itarint. Certe Heberi nomen ac diſciplina adeo quidem venerabilis extitit, ut ei deinceps per omnem poſteritatem litteræ, religio, gens ipſa debuerit, quod Hebræa nominata ſit. Ab illo enim ſatius eſt vocis originem petere, quam, quod alii faciunt, ab Abrahamo. Sed ab hoc tamen non diffiteor magnum litteris ac ſcholis ſacris augmentum acceſſiſſe, dum ipſum non puduit piguitque liberos & ſervos domi in religione diligenter inſtruere: unde hoc ab ipſo Deo elogio decoratur, quod ſobolem ac domum ſuam probè eſſet edocturus. Admiranda, & multo res digna encomio, quod tantus vir, Patriarcha, Princeps, adeo ſedulus incubuerit non ſuis tantum erudiendis liberis, ſed vernis quoque ac ſervis, ut, quando exercitum trecentorum & octodecim militum domo educeret, pro liberando Lotho, illos omnes habuerit ſcholæ ſuæ non minus diſci-

Digitized by Google

diſcipulos & catechumenos, uti in Hebræo vox ſonat חניכיו, quam domui & famulitio adſcriptos milites. Nempe Abrahamus (dicunt Judæi) operam navabat docendis religionem maribus; Sarâ, fœminis: ut ſic communi ſtudio & catecheſi facerent quotidie alios atque alios proſelytos, nec *domicilii* adeo, quam *religionis*; & ſervos ſupra quam ſervos, id eſt, uti Apoſtolus de Oneſimo, fratres, ſive domeſticos fidei æque ac familiæ. O præclarum domus, juxta ac Scholæ ſanctè regundæ in illo viro exemplar! nec illi ſolum genti, quæ ab eo originem traxit, & in Parente iſto gloriata diu fuit; ſed & quibuſvis, quantumvis alterius ſtirpis, at fidei ejuſdem ſequacibus, ſedulo ſemper imitandum! Porro quum Deus non jam ultrà Eccleſiam familiis contineri, ſed propriam poſſidere & incolere ac rigare quaſi terram voluit, regionem Abrahamo pridem promiſſam, ibique extendere ſe, & explicare vires longe lateque; tabernaculum templumque, & locum ſacro cultui deſtinatum voluit ſimul collegium ſeu gymnaſium eſſe, erudiendis ad S. miniſterium Levitis. Namque hæc tribus ſola Deo ſacra, tota vacabat ſanctis operis, atque à primo ætatis menſe Deo adſcripta, in ſervitium ejus educabatur. Anno ætatis vigeſimo quinto primis miniſterii rudimentis initiati, in omnia

dein

Digitized by Google

dein officii munia intromittebantur ab anno trigeſimo uſque ad quinquageſimum, quo rude donati ſolâ curâ porro diſtinebantur & præfecturâ in juniores, quos docebant regebantque, Levitas. Eſt ſua ætas, quando labores, etiam ſacri, incipiunt; alia, quâ, perinde ac corporis noſtri vires & periodi, adoleſcunt; iterum quando pleno robore quaſcumque muneris partes ſuſtinemus; ſed denique quando vires, ætas, ſtudia deficiunt, & hæc moriendi magis neceſſitati nos vendicant, quam vivendi. Atque ita apud Romanos (nam Dei ſimium inter Gentiles Diabolum egiſſe quis neſcit?) Veſtalium tempus omne in tres claſſes ſeu decades diſtributum fuit: ut primis decem annis diſcerent; aliis miniſtrarent; docerent ultimis: triginta annis totum miniſterii addiſcendi, exercendi, tradendique comprehenſum tempus; quod ſupra erat, ipſis reliquum fuit. Antequam Cananæam, ut ad Hebræos revertamur, invaderent Iſraëlis filii, Phœnices urbem habuiſſe quam Kiriath-Sepher dixerunt, temporibus Joſuæ Debir appellatam, ex Sacris novimus, utroque nomine Scholæ aut ſtudiorum urbem denotante. Quod ſi nonnullos audiamus, ipſum Academiæ nomen non Græcum, quod Athenienſes nolint, ab Hecademo cive ſuo qui agrum ſuburbanum gymnaſio

Digitized by Google

extruendo dederit, illud ducentes, quod etiam verius; ſed Phœnicium erit, à Cadmo, ob antiquitatem ſic dicto (*Kedem* quippe antiquum ſonat) qui litteras primus docuiſſe Veterum monumentis proditur, erit derivandum. Hujus quidquid ſit, olim apud Hebræos, in loco ſacro Scholam vel gymnaſium quoque fuiſſe, ubi in ſpem miniſterii alerentur atque erudirentur ejus candidati, vel una Samuelis hiſtoria manifeſtum facit, qui à teneris ad domum Dei adductus, & ſacris ſtudiis imbutus fuit, iiſdem ſcilicet, quibus alios dein variis in Prophetantium collegiis, uti appellabantur, inſtruxit. Qualia etiam Eliæ, ac Eliſæi fuere collegia, varia ea atque frequentia, ut ex uno Jerichuntino quinquaginta viri, Prophetarum filii, magiſtros ſuos ſequerentur, eorum διάστασιν obſervaturi atque diſceſſum. Nec alios intelligo fuiſſe, quos Obadja, furente Achabi perſecutione, quinquaginta hinc inde Prophetas variis in ſpecubus occultaſſe, legimus. Inter quos adultæ ætatis & conjugatos etiam egiſſe, fidem facit hiſtoria Eliſæi. Cæterum Judæi tum in ſcriptis, tum in uſu hodierno juxta Synagogas gymnaſia ſeu ſcholas habent, quibus juventus in Theologia ſcilicet & ſtudiis inſtruitur, quas *doctrinæ domum*, בית אולפנא, & *domum expoſitionis* בית המדרש paſſim vocant; atque in

Digitized by Google

in multis, ipſis adeo Synagogis præferunt. Quid autem magis ſcholas noſtras nobilitare poteſt atque extollere, quam quod Theologiæ ſalutiſque omnis auctor ac dux Chriſtus vel duodennis in templo, inter Doctores

legiſque Magiſtros
Inter, ut emeritus reſidebat jure Magiſter?

nam non habitam ibi concionem, ſed collegium, vel gymnaſium fuiſſe, quo ſe exercebant Doctores ac diſcipuli mutuis de lege συζητήσεσι, cum hiſtoria, tum communis Theologorum fert ſententia. Et *conſeſſum* ישיבה, à formâ ac ratione ſedendi, Judæi Scholam denominant: ubi magna ſemper *Scribarum*, quorum in Euangelio frequens mentio, authoritas fuit, ut peritorum legis, qui eam exponere erant ſoliti, ſive in Scholâ, ſive Eccleſiâ, aut Senatu, quum omnia apud Judæos, vel religionis, vel politiæ, ex unius legis penderent interpretatione. Quantum verò Scholis noſtris ſcholarumque exercitiis à Chriſto, qui præſentiam, ſtudium, præſidiumque iis commodavit, acceſſit auctoramentum, decus quantum, & gloria? ut ipſum ſe illis medium immiſcere, & partes viceſque diſputandi ſervare non erubuerit Dei Filium, ac mundi Servatorem? Eat nunc, & ſcholarum ſuarum duces atque anteſignanos jactet univerſa olim Philoſo-

loſophantium turba; ne nominandi quidem eodem tempore cum hoc Scholæ noſtro auctore, ac vindice, reliqui abſque eo vanitatis magiſtri, nedum conferendi. Primam ætatem ſcholaſtico exercitio nobilitavit Chriſtus, revera ætate ſua ſcholas, ut adultâ in templo, ſynagogis, cœtibuſque omnibus Doctor agnoſceretur, cum aliunde, tum etiam ex illo primo edito apud Magiſtros documento. Atque aliis ordinem præſcripſit ſimul ſuo exemplo, ac ſtudiorum methodum, videlicet dignè primùm verſari oportere in Scholis, tum in Eccleſiâ. Erant illâ tempeſtate apud Judæos duæ præ aliis ſcholæ maximè famoſæ, quarum creberrima in Talmude poſteà facta mentio, *Hillelis*, & *Scammai*, qui diverſarum Sectarum auctores, perpetuo inter ſe non diſputant, ſed rixantur, &, ne de levibus putemus controvertere, octodecim quæſtiones ipſorum adeo difficiles Judæi ac perplexas faciunt, ut eas ne quidem Elias ipſorum expediturus videatur. Hillelem verò multum alteri præferunt, ob ingenium, animumque pacatiorem, unde dicunt, ſententias illius paſſim accipi & ſequi, *quia mitis erat, & patiens injuriarum.* & natum hinc apud eos diverbium: *ſit homo manſuetus ſemper ut Hillel, minimè iracundus ut Scammai.* Nimirum oſtendere voluerunt, quantum ad lites vel excitandas

vel

Digitized by Google

vel tollendas faciat diverſum hominum ingenium. Illorum Scholæ manſere poſt Chriſti tempora, uſque ad excidium urbis, quo ipſo tantam ſynagogarum vel ſcholarum (nam quia illæ quoque pro ſcholis habitæ, aliquando id de ſynagogis, aliquando de ſcholis referunt) frequentiam fuiſſe teſtantur, ut octoginta ſupra quadringentas à Tito exciſas tradant. Nempe erat urbs illa religionis, politiæ, litterarum, ac totius rei Judaicæ quoddam veluti compendium & ſummarium. Eâ everſâ, ſtudia quidem aliqua reſidua adhuc fuerunt in regione iſtâ, præcipuè in celebrioribus ejus oppidis, Jafnæ, Cæſareæ, ac Tiberiadis, unde Tiberienſes Maſorethæ; ſed potiſſimam partem commigrarunt inde in Babyloniam, ubi ſedem delegerunt ad Euphratis flumen, Nehardeæ, Soræ, ac Pumbedithæ, quarum Sorana ſemper ſchola frequentior extitit atque maximè honorata, ubi quoq; Talmud poſtea Babylonicum, uti in illis Judææ Scholis Jeroſolymitanum antea confectum, non in urbe, ſed terrâ Scholiſque ex urbe denominatis. Babylone, propter Turcarum imprimis ſævitiam ac tyrannidem, Scholæ Judaicæ aufugerunt, ſub annum à Chriſto nato milleſimum, cum in alia orbis loca, tum præſertim in Hiſpaniam, ubi longo tempore hæſerunt: donec etiam inde abactæ in reliquam Europam,

ropam, & Germaniam utramque ſe contulere. Verum hæc proſequi ulterius nihil attinet, quum à tempore Chriſti, & labantis apud Judæos religionis, illas non pro veris ſcholis, non pro Theologicis habeamus: verâ Theologiâ, ejuſque genuinis ſtudiis non alibi quam in Chriſti ſcholâ agnitis & conſervatis. Quare jam, quod ſecundo loco dicere propoſui, ad Chriſti, & Religionis *Chriſtianæ Scholas* itidem Theologicas noſtra convertit ſe oratio.

Primum Chriſti munus fuit docere, & ſolus quidem docere ea potuit, quæ præter Filium nemo à Patre ſcivit vel audivit. Utique ab eo accipiens, id eſt, ab eadem cum Patre ſuâ Deitatis naturâ, ei ἴσος atque αὐτόθεος, quæ mundo patefaceret, in quibus cognoſcendis amplexandiſque hominum ſapientia conſiſteret, religio, ſalus. Revelavit autem ſuis, non mundi aut carnis ſapientiâ tumidis, non potentibus, ſed infirmis, & puſillis, quoſque ſalutare ſolitus infantes, pueros, diſcipulos. Hoc quippe primum vulgatumque nomen, quo vivo Chriſto innotuerunt paſſim ſui, ut *diſcipuli* dicerentur; eo in cœlos recepto, *fideles*; inde & *Chriſtiani* appellati. Ut nihil ſit eſſe Chriſtianum, quam fidelem Chriſti diſcipulum, & in ejus diſciplinam ac fidem tranſcriptum, vel, ut emphaſim retineamus Apoſtolicam, εἰς τύπον διδαχῆς αὐτοῦ παραδεδομένον.

Unus

Unus Magiſter Chriſtus, uti nonnemo Veterum benè dixit, *ſolus non didicit, quod omnes doceret.* Docuit in confertâ paſſim ſuorum, aliorumque turba, & in cœleſti quaſi peripato, jam in templo, ſynagogis, vicis, campis, eremo, terra deniq; & mari, ut nec locus nec tempus ullum fuerit, quo non vacaret meliori doctrinâ vitaque informandis perpetim hominibus. Nullis autem majori curâ ac ſtudio intendit, quam Apoſtolis, ceu muneris ſanctiſſimi ac graviſſimi candidatis, quos peculiariter in hoc inſtruebat, ut non noſſent ſolum regni cœleſtis myſteria, ſed quoque alios, & omnes, orbemque univerſum eadem docerent. Hoc gymnaſium, ſeu collegium intueri licet, veluti typum ordinis iſtius, quo deinceps in Eccleſiâ præparari dignis ſtudiis conſueverunt, in ejus uſum ac miniſterium ſuo tempore adhibendi. Nec alium in finem Chriſtus, etiam poſtquam è mortuis reſurrexit, cœleſtem adſcenſum tardavit, quam ut diſcipulos de regni ſui negotiis relinqueret copioſius inſtructos, perficiendos plenius effuſo in eos, qui promiſſus erat, Spiritu. Planiſſime autem argumentum noſtrum proponit Apoſtolus, ad Timotheum ſcribens: *quæ audiviſti à me multis teſtibus, ea depone apud homines fidos, qui apti ſint & alios docere.* nimirum hoc eſt, habere & inſtruere familiariter S. ſtudiorum

diorum

Digitized by Google

diorum & miniſterii conſecraneos: quod ipſum illud munus eſt, cui nos in ſcholis ſubſtituimur, curæ eccleſiaſticæ adeo annexum, ut non alibi quam in Eccleſiâ, & ab Eccleſiaſticis curatum per multa admodum ſæcula fuerit: poſtea in communem cum aliis ſæcularium ſtudiorum profeſſionibus ordinem, locum, & reliquam fere rationem, tranſlatum. Primis verò ab Apoſtolorum ſæculo temporibus, Eccleſia, quo ſibi ſemper proſpiceret de doctrinâ ac doctoribus, neque hac in parte facile deſtitueretur, non neglexit ad manum habere ſementem ingeniorum, quæ tempeſtive exculta ſtudiis Theologicis, utilem in docendo & paſcendo ſibi navare poſſent operam. Unde partem muneris hanc aliquibus impoſuerunt, ut juniores ſacris præformarent ſtudiis inſtruerentque. Atque is agendi modus primum viguit in *Eccleſiis:* deinde in *Monaſteriis*. Nullumque præclarius illius in totâ antiquitate extat exemplum, quam Eccleſia Alexandrina: ubi in iſthoc quidem ordine Scholam Theologicam gubernarunt Pantænus, Clemens, Origenes, Heraclas, Dionyſius, Didymus, & alii. Fuitque diſtincta hæc functio à communi Eccleſiaſticâ, vel preſbyteratu: nam illam obiverunt aliquando qui nondum eſſent preſbyteri, ut Origenes, octodecim annorum juvenis,

urgente

urgente loci epiſcopo Demetrio, dum reliqui ob perſequutionem aufugerant, relictâ, quam hactenus ſuſtinuerat, profeſſione Grammaticæ, Theologiam adorſus eſt, factuſque, uti loquebantur, Catecheſium magiſter. Nam haud alio nomine quam Catecheſis, illius temporis locique Theologica profeſſio venit, quando ſimplex ea & plana fuit, in nudâ & vivâ Scripturæ S. explicatione, non quæſitis otioſarum ſubtilitatum ac quæſtionum nodis triciſque, occupata. Ut minus difficile tum fuerit, juvenili illâ ætate quempiam admittere ad Theologiam in Scholâ docendam, quali Origenem fuiſſe diximus. Eſtque illa catecheſis altior gradus & claſſis à triviali & communi catechumenorum ad fidem, quando illâ Theologi inſtituebantur in ſpem miniſterii Eccleſiarum, juxta antiquiſſimam tradendarum diſciplinarum rationem, per planam rerum expoſitionem, & interrogandi reſpondendique συζήτησιν. *Juxta quandam veterem in Alexandriâ conſuetudinem à Marco Euangeliſta ſemper Eccleſiaſtici fuere Doctores*, inquit Hieronymus. Et ab antiquâ conſuetudine, ἐξ ἀρχαίου ἔθους ſacrorum verborum apud illos extitiſſe Scholam, ſcripſit Euſebius. At longe ante hæc tempora in Ægypto, ejuſque urbe primariâ Alexandriâ, ſtudia & Scholas floruiſſe, & bibliothecam fuiſſe, viroſque mundanâ

C erudi-

eruditione claros, nemini ignotum. Ariſtarchus hic Grammaticus; Arius philoſophus, cujus memoriæ ac nomini ſervatam à ſe urbem Auguſtus jactabat; Appion, mundi cymbalum dictus; Philo, aliique innumeri. Nam etiam Judæi, præſertim crebris Lagidarum vexationibus & oppreſſionibus jactati, in hanc regionem commigrarunt: quâ occaſione ab Alexandrinis Judæis Græcam V. T. verſionem adornatam ego quidẽ exiſtimo. At poſtquam Ægyptus Chriſto nomen dedit, & hoc pacto Deo altare conſtitit in mediâ Ægypto, nuſpiam ita litteræ, & quod nos ſpectamus, ſacræ floruerunt, quam Alexandriç. Pantænus hic, Stoicę primum philoſophię, inde Scholæ Theologicæ anteceſſor, qua ſermone, qua ſcriptis ſacrorum dogmatum θησαυρὸς (uti de eo Veteres) ὑπομνηματιστὴς. Ejus in Scholâ auditor primũ, tum ſucceſſor fuit Clemens ille, qui paſſim audit Alexandrinus, de quo, ut revera eruditiſſimo, Hieronymi epiphonema iſtud: *quid in illius libris indoctum? immo quid non è mediâ philoſophiâ eſt?* Stromateo iterum diſcipulus ſuus ſucceſſit Origenes, qui Alexandriæ primùm, hinc Cæſareæ Paleſtinæ, inde iterum Alexandriæ Theologiam, magnâ hominum famâ ac concurſu, docuit: quem Cæſareæ per quinquennium audivit, ejus operâ à profanis ad ſanctiora ſtudia, magno ſuo ac Eccleſiæ bono, adductus,

Digitized by Google

ctus Gregorius Nazianzenus. Origenem in Alexandrinâ profeſſione, vel, uti tum loquebantur, Catecheſi Scholaſticâ ſequutus fuit diſcipulus ejus Heraclas; quin & cum eo in eodem diu verſatus ludo fuit. Nam quum frequentiâ diſcipulorum à mane uſque ad veſperam obrueretur Origenes, aſſumto ex diſcipulis Heracla, viro in philoſophia & reliquis diſciplinis bene verſato, ſic operas inter ſe & illum partitus fuit, ut, provectioribus ſibi ad inſtruendum ſervatis, Heraclam juſſerit junioribus attendere, & prima iis tradere fidei ac Theologiæ elementa. Heraclâ poſt in epiſcopum electo, Dionyſius ſucceſſit; & hoc quoque facto epiſcopo, Pierius, junior Origenes vulgo appellatus: tum Didymus, qui hoc in ſe admirandum præbuit, quod cæcus quum eſſet, ab anno ætatis quinto miſerè orbatus viſu, tamen ex continua ἀκροάσει, acerrimaque, qualis iſtorum hominum eſſe ſolet, meditatione ac phantaſiâ, tantum profecerat, ut non artes modo quaſcumque liberales & philoſophiam, quodque difficulter admodum credatis, arithmeticam etiam & geometriam probe calleret, ſed in Theologiâ quoque adeo exercitatus haberetur, ut Scholæ præeſſe Theologicæ, & S. litteras magna ſui laude, nec cum minore Eccleſiæ uſu, ſub Athanaſio epiſcopo, publicè docere valuerit. Unde ſolâ

Digitized by Google

ejus audiendi cauſa ſe Alexandriam profectum teſtatur Hieronymus, ad cujus uſque ætatem ſupervixit ſenex, annum tum jam octogeſimum & tertium ſupergreſſus. Ne Arium nominem, funeſtæ hæreſis auctorem, quem etiam in Scholâ Alexandrinâ Theologiam docuiſſe referunt. Atque illo tempore præter lectiones ac ſtudia Theologica, ſub Epiſcoporum ductu ac cura, in Eccleſiâ, à Doctoribus ſeu Catechiſtis habita; viguiſſe ibidem quoque ſtudia Philoſophica, Medicaque, teſtis Gregorius Nyſſenus, in vita Gregorii Neocæſarienſis, qui ſub Origene ibidem ſtuduit. Et Philoſophiam quidem Peripateticam docuit aliquando Anatolius, urbis iſtius poſtea factus epiſcopus. Ita audiviſtis, *Auditores*, vel primam, vel certe celeberrimam Profeſſionis noſtræ, priſco illo Patrum & Eccleſiæ ævo, apud Alexandrinos Scholam, ſtudia, Profeſſores. Neque injucundum aut inutile eſt in ſimplici, eoque meliori antiquitate, ſpectare quo pacto illi, quos Patres paſſim vocamus, Theologiam non in Eccleſiis modo, ſed & Scholis, tradiderint tractarintque, ſtylo & methodo propius accedente ad Apoſtolicam ſimplicitatem, & fidei communis analogiam ac baſim, quæ ſolam religionis vim reſpicit uſumque, procul ab omni ſæculari pompâ & ingeniorum luxu, ut hinc Catechiſtæ,

vel

Digitized by Google

vel Catecheticarum exercitationum & Catecheſis ſcholaſticæ Doctores ac magiſtri paſſim nuncuparentur. Quod certe nomen nulli vile videri debet, niſi qui neſciat omnem Euangelii doctrinam catecheſim appellari. Ad exemplum Alexandrinæ, alibi quoque ſcholæ extitere, Ceſareæ, ubi & celebris bibliotheca; Antiochiæ, hic Lucianus presbyter docuit, audientibus ipſum Ario, & Nicomedienſi epiſcopo Euſebio; Jeroſolymis egregiam conſtituerat Alexander epiſcopus bibliothecam, ex quâ haud parum adjutus in conſcribendâ Eccleſiæ hiſtoriâ fuit Euſebius; apud Niſibim Syrorum Scholæ, atque alibi aliæ. Conſtantinopoli magnus Conſtantinus, ex veteris Romæ æmulatione, Scholas plures inſtituit, variiſque tum ſtudia, tum Profeſſores, ac ſtudioſos privilegiis ornavit & ipſe, & ſequuti eum Impp. Theodoſius præſertim, ac Valentinianus. Quo reſcripta faciunt *de Profeſſoribus & Medicis*: & ne Conſtantinopolis infra Romam haberetur, illud *de ſtudiis liberalibus urbis Romæ & Conſtantinopolis*. Sed quemadmodum Romæ, ita Conſtantinopoli, & alibi in publicis illis ſcholis non Theologia docebatur, unde etiam ejus nulla in Edictis illis mentio, ſed diſciplinæ ſolummodo & artes ſæculares, Grammatica, Oratoria, Philoſophia, Medicina, atque Jus: cæterum Theologia in

Digitized by Google

Eccleſiis tractabatur, aut Monaſteriis. Interim etiam propter ſtudia liberalia illas Scholas adibant Theologi. Gregorius Nazianzenus Cæſareenſem primò, inde Alexandrinam, poſtremo Athenienſem, una cum ſui altero, Baſilio, frequentavit. Sed Scholæ Athenienſis, ubi & Rhetoricam docuit, turpem inſolentiam in excipiendis recens advenientibus ſtudioſis, quod hodie fere dicimus *deponendis*, digne reprehendit atque exagitat. Auguſtinus, relictâ Scholâ Carthaginenſi (de cujus quoque ἀταξίας conqueritur in *Confeſſionibus*; & in ſuis item *de Dei judicio ac providentiâ* libris, Salvianus) Romanam petiit, quæ quam celebris fuerit, etiam lex Valentiniana teſtatur *de ſtudiis liberalibus urbis Romæ*. Verùm, uti diximus, non in illis publicis ſcholis Theologia tum tradebatur; ſed in Eccleſiis, in Epiſcopiis, in Monaſteriis. Uti enim prima optimaque Eccleſiæ facies fuit ante & abſque epiſcopis, ſaltem abſque illo diſcrimine & authoritate, quæ poſt ſequuta, unde Epiſcopi irrepſerunt; poſt eos quoq; Monachi & Monaſteria: ita ſtudia Theologica tradita primùm in *Eccleſiis*; inde in *Epiſcopiis*, ſive domibus Epiſcoporũ; porro in *Monaſteriis*. Illius exemplum dedimus in Eccleſiâ Alexandrinâ: iſtius accipite in epiſcopo Conſtantinopolitano Gregorio Nazianzeno, cujus, utpote multis jam ſtudiis, pere-

peregrinationibus, variiſque in ſcholis probe inſtructi, audiendi cauſa, uti Didymi Alexandriam, ita illius Conſtantinopolim profectum ſe, eoque uſum magiſtro & præceptore, aliquoties deprædicat Hieronymus. Auguſtinus autem Hipponenſis factus ſub Valerio epiſcopo preſbyter, monaſterium mox erexit intra Eccleſiam, ubi non communem adeo cum ſuis vitam, quam ſtudia habuit, *& privatim & publice, in domo & in Eccleſiâ* ſacram religionis doctrinam tractavit: ex qua ſcholâ ſeu monaſterio præſtantiſſimi ubique tum Hipponenſi, tum aliis eccleſiis preſbyteri & epiſcopi poſtulati fuere. Hoc erat veri munus Epiſcopi, nam factus etiam, imo (quod novum erat) deſignatus vivente adhuc Valerio epiſcopus, nihilo ſequius in iſthoc opere perrexit; eaque prima facies, hoc inſtitutum monaſteriorum fuit, ut ſtudiorum & clericorum eſſent ſeminaria. Unde Hieronymus ſcribere ad Ruſticum, monachum; *ita vive in monaſterio, ut clericus eſſe merearis. Multo tempore diſce, quod poſtmodum doceas, & inter bonos ſemper ſectare meliores.*

Sub Juſtiniano Imp. uti jus, ac juris ſtudia vehementer exculta nemo ignorat, vocatis ex Cæſareenſi, & Berythenſi gymnaſiis, qui corpus legis formarent, quo hodieque utimur; ita eodem tempore, quo illa in Oriente, in Occidente quamvis
miſere

Digitized by Google

miſere poſt ultimum Auguſtulum, à Gothis diſcerpto, cœpiſſent etiam ſtudia Theologica in publicas Scholas introduci, volvente ſaxum hoc Aurelio Caſſiodoro, viro illuſtri, ad Ann. Iↄxxxv. *ut in urbe Romanâ Profeſſores Doctores Scholæ acciperent Chriſtianæ*, quemadmodum ipſe ſcribit; ſed per bella, ſtudiis nimis quam inimica, conſilium illud in ſpongiam incubuit: neque obtinere potuit ut ad exemplum ſcholę Niſibiticę apud Syros, ubi, quemadmodum hoc tempore ſcripſit Junilius Africanus, *divina lex per Magiſtros publicos, ſicut apud alios in mundanis ſtudiis grammatica & rhetorica, ordine ac regulariter tradebatur*: profeſſio vigeret in Scholis publicis Theologica. Quæ demum introducta temporibus Caroli Magni. Hic in multis regni atque imperii ſui locis varia cum Monaſteria, tum Canonicatus collegia, & Gymnaſia ſeu Academias inſtruxit, interq; eas Pariſienſem, Papienſem ſeu Ticinenſem, Toloſanam, & quæ omitti à nobis haudquaquam debet, etiam Arauſionenſem in Galliis. Atque hoc jam tempore in iiſdem Scholis, ubi ſæculares litteræ ac diſciplinæ, etiam Theologia tradita: eratque curæ Epiſcopalis videre, ut ex præſcripto Imperatoris illud digne fieret. Hinc in Capitulari Imperatoris, monita ad Epiſcopos, *ut Scholæ ad filios, & miniſtros Eccleſiæ inſtruendos vel edocendos non negli-*

Digitized by Google

negligantur. Juxta veterem diſciplinam iterum conjungitur utraque inſtitutio, & catecheſis, minor filiorum, & ſuperior Clericorum. Digna ſunt quæ in Cabilonenſi Synodo, ſub Carolo M. An. IↃCCCXIII. Epiſcopis imperantur, ut hic audiamus: *oportet, ut ſicut Dominus Imperator Carolus, vir ſingularis manſuetudinis, fortitudinis, prudentiæ, juſtitiæ & temperantiæ, præcepit, ſcholas conſtituant, in quibus & litteraria ſolertia diſciplinæ, & ſacræ Scripturæ documenta diſcantur, & tales ibi erudiantur, quibus merito dicatur à Domino: vos eſtis ſal terræ: & qui condimentum plebibus eſſe valeant, & quorum doctrinâ non ſolum diverſis hæreſibus, verùm etiam Antichriſti monitis & ipſi Antichriſto reſiſtatur, ut merito de illis in laude Eccleſiæ dicatur: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Adeo jam in publicis cæterarum diſciplinarum Scholis erudiebantur quoque ſtudioſi Theologiæ, qui digne aliquando Eccleſiis inſervirent, iiſque ornamento eſſent & uſui. Erantque Scholæ communiter *Sanctarum Scripturarum & humanæ quoque litteraturæ, unde magna illuminatio eccleſiæ, & eruditionis utilitas proceſſit:* quemadmodum in aliis, poſt Carolum, loquuntur Conciliis. Jamque, ſecus ac antea, in Scholis tum ſæcularis, tum cœleſtis ſapientia, ab utriuſq; Profeſſoribus docebatur. Cui magnum acceſſit poſtea ſub Lothario Saxone, eo-

Digitized by Google

demque ſæculo, id eſt, poſt annum cIↄ c. ſub Friderico auctoramentum: quorum hic *omnibus qui cauſa ſtudiorum peregrinantur Scholaribus, & maxime divinarum atque ſacrarum legum Profeſſoribus* ea indulſit privilegia, quæ ſingulari lege ac loco inter Imperiales Conſtitutiones legi voluit. Ille, revocatâ in priſtinum decorem locumque, quem ſub Gothorum & Longobardorum imperio legibuſque amiſerat, Juris Romani Profeſſione, ex conſilio Irnerii J. C. quem Bononiæ *Juris Lucernam* Imperator eſſe voluit; addidit quoque Doctores promovendi poteſtatem, certis adhibitis ſolemnitatibus, quæ ab eo, iſtaque Academiâ, originem ſuam traxerunt. Idemque non modo mox ſequutus Papa Romanus, per Gratianum Bononienſem monachum aliud Jus ſuum, ex Cæſarei æmulatione, priori objecit, imo præpoſuit, ne videlicet Imperatoria majeſtas leges, & Juris iſtius ſtudium ſua quidpiam depreciarent: verum & Doctores promovendi rationem, ceu Scholaſticæ profeſſionis appendicem, Theologi quoque amplexi ſunt, primuſque ſolemniter Theologiæ Doctor promotus fuit in Pariſienſi Academiâ, urbis iſtius epiſcopus, Petrus Lombardus, à novâ, in quam Theologiam redegit, imitatus ex Veteribus Damaſcenum, formâ, *Magiſter ſententiarum* vulgo appellatus. A quo tempore

pore

Digitized by Google

pore non illâ certe ſimplicitate, puritate, ac dignitate tractata in Scholis Theologia fuit, atque olim; ſed in Summas, Diſtinctiones, & ſpinoſas aliquot Quæſtiones fere tota abiit, deſiitque eſſe, quod ſolebat, debebatque. ut nec in ipſo Papatu, ne Reformatos dicam & Reformationem, defuerint qui illam docendi rationem, quæ ſola obtinebat, graviter perſtrinxerint, atque repudiarint.

Sed *Reformatio*, uti reliqua Papalis fermenti ac ſuperſtitionis, corrigere ſe profeſſa, quod etiam fideliter præſtitit, ita Scholas & ſtudia emendare, erigere, & perficere omni modo allaboravit. Opuſque illud ſuum variis Deus documentis, & quibuſdã ceu præludiis in hujus argumenti ſchemate præcurrentibus tum ſignificavit, tum juvit. oſtenſâ primùm mundo, vix ſæculo ante, arte eximiâ Typographiæ, quæ litteris ac ſcholis immenſos dein ex ſe uſus præbuit atque beneficia, cujus inventæ laudem nulli alteri quam patriæ civitati *Harlemo* deberi, grato erga Deum ac civitatem animo agnoſco. Eodem fere tempore litteræ Græcæ ab occupatâ Conſtantinopoli, cum Græcis exulibus, aliiſque in litteraturam omnem promovendam excitatis viris egregiis, ceu verno tempore flores ætatem teſtantes proximam, refloruerunt, & Reformationi Eccleſiarum panderunt viam illuſtrem atque compendioſam.

Digitized by Google

Nec minus id fecere Scholæ & Academiæ multæ, circa eadem tempora erigi cœptæ aut vigere, Heidelbergenſis, Pragenſis, Erfordienſis, Lipſienſis, Baſileenſis, Wittembergenſis, Argentinenſis, quæ magno Reformationi à primis ejus initiis præſidio fuerunt & auxilio. in quam laudem quoque veniunt gymnaſia, Daventrienſe in Belgio, in Helvetiâ Tigurinum, & Genevenſe: quæ juxta temporis ſeriem ita ſemet variis in locis ſequuta: ut vel hinc cuivis apparuerit, in idem opus Reformationis omnia illa à Deo deſtinata fuiſſe. Hinc etiam primi Reformatores de Scholis Theologicis conſtituendis, purgandis, conſervandis ſupra modum fuerunt ſolliciti. Teſtis Lutheri de hoc argumento liber, ſcriptus ad annum præcedentis ſæculi quartū ſupra vigeſimum: quem ſuâ præfatione confirmavit Phil. Melanthon, & cōmendavit. Teſtis Wittembergenſis Concordia, inter Lutherum ac Bucerum, alioſque ſancita, ad annum trigeſimum & ſextum, ubi ſingulari capite de Scholis inter illos actum quoque fuit. Teſtes (nam quid ſingula memorem?) tot ac in orbe Reformato inde Scholæ, & Scholarum ſeu Doctores, ſeu Studioſi. Teſtis denique nobis proximus, *Auditores*, ac præſens, hæc noſtra Academia. quæ omnium prima, & reliquarum in Belgio mater, mater ſtudiorum ac litterarum, omniſque,

Digitized by Google

que, quâ patria exundat, & ſe exteris & orbi prodigium facit, ſapientiæ. Argumentum, cum Rep. noſtrâ Scholas enatas, pari fato. Namque ex bello, ex aquâ, uti civitas hæc, omneſque adeo res noſtræ, ita cum civitate ſibi vindicatâ & libertati, Academia orta, ac crevit. Hoc civium fortitudini ac conſtantiæ in profligando hoſte & arcendo; Eccleſiæ ac ſtudiorum neceſſitati, ne in exteras & alterius fidei juriſque Academias cogerentur ultra abire noſtri homines, datum, ut in potentiſſimâ provinciâ, ejuſque meditullio, aptiſſimâ ſtudiis ſede, Academia patriæ, Eccleſiæ, orbi denique univerſo aperiretur. Neque alia gaudere hoc honeſtamento urbs debuit, quam quæ ſe defendendo, ſervati Belgii, libertatis, & Eccleſiæ, ſub Deo, cauſa extitit: quæque optimè in omnem poſteritatem tradet, quibus demum præſidiis tuti futuri ſint, nempe armis ac litteris, vi & virtute, conſtantiâ atque eruditione. Suntque jam octoginta anni, quod primum erigi hæc cœpit & fundari Academia: à quo tempore ita in omni genere litteraturæ ac diſciplinarum floruit, ut dubium ſit, an Belgium Academiæ noſtræ, an vero hæc Belgii genium ſequuta: ita ea quoque, quicquid uſpiam in Academiis bonarum litterarum, ſtudiorum, hominumque eſt, in ſuos uſus, & ſuum quaſi pena-

Digitized by Google

rium reponit. Et quidem Sanctuarium noſtrum reſpiciendo, nam de Scholis dicere inſtitui Theologicis, quantopere hinc res Eccleſiæ & Reformationis promotæ à primo ejus tempore fuerint, neſcio an noſtræ, an cæteræ apud exteros veræ Dei Eccleſiæ, urbs an orbis magis ſciat. Ita non modo hujus urbis probata Deo conſtantia ac fides, ſed cæterarum etiam Eccleſiarum benedictiones in Academiam noſtram refuſæ, & cunctorum huc tendentia vota preceſque, effecerunt, ut omnibus quaquaverſum uſui fuerit atque præſidio. Nec dubito, quin, perennante Dei eodem in nos favore ac providentiâ, Leidam loquentur, quotquot Belgium; & Academiam ſint veneraturi, quicumq; non Remp. ſolùm noſtram, & Eccleſiam, ſed qui ubique terrarum fidem, virtutem, & bonas litteras æſtimabunt. Quippe debetur hoc ſolidis piiſque illorum laboribus, qui ſuos hic poſuerunt condideruntque, à quibus non abeunt quorum impræſens quoque diligentia, pietas, eruditio & ſe, & Academiam commendant. Quorum adeo celebri & famigerato ordini nomen meum adſcribi quoque, non abſque debitâ animi gratitudine & devotione accipio. Nam quis magna illa nomina non veneretur, quæ ex hac cathedrâ docuerunt, *Feuguerœos* dico, *Danæos*, *Holmannos*, *Trelcatios*, *Gallos*, *Junios*, *Gomaros*, *Polyandros*,

Digitized by Google

lyandros, *Rivetos*, *VValæos*, *Thyſios*, *Spanhemios*, *Triglandios*, ne vivos præſenteſque loquar viros de Eccleſiâ, Academiâ, & patriâ juxta bene meritos. Quibus me poſtremum nunc accenſeri, facit ut operam daturus ſim omnem, quo non indignus habear iſto ordine, locoque: neque pœniteat unquam vel illos qui me huc vocarunt, vel me, hujus diei, quo in illorum conceſſi jus & clientelam. Equidem (nam de me etiam verbum addere quid adeo abs re? nempe ut vel ſic, qualem accipiatis, etiam conſtet) tria mihi ſemper in Academico munere, quin & quovis alio, præfixa habeo: ut ſincerâ animi *probitate*, tum *concordiâ*, & aſſiduâ *diligentiâ* ſpartam exornem indeptam. Illam *Deo* me debere ſcio, & ante omnia: Iſtam, quibuſcum vivendum *Collegis*, amicis, fratribus; namque Chriſtiano & Theologo quilibet frater eſt & proximus: hanc *mihi*, meiſque, quæ & aliis, & Deo ſerviunt, ſtudiis. Hoc totum vitæ noſtræ argumentum eſt, & ſpatium: in hoc ſtamus, & ſumus toti. Pietatis prima habenda cura, id eſt, Dei, atque animæ. Et quid quæſo abſque eâ omnis noſtra eruditio? vanum nomen, non vanum duntaxat, ſed pernitioſum, non auctori modò ſuo, ſed & communi hominum ſocietati. Non mihi, quod aliis nimis vulgare, homo ex eruditione; ſed eruditio ex homine præ-

ſertim

Digitized by Google

ſertim æſtimatur, nempe ſi Dei timens, ſi probus, ſi modeſtus ſit: extra quæ ſcientiam quamcunque nauci non facio. Nam etiam Apoſtolum de ſe dixiſſe memini, *quod ſi prophetiam habeam, & ſciam omnia myſteria & omnem notitiam, & ſi habeam omnem fidem, quoque ut montes transferrem, neque charitatem habeo,* οὐδέν εἰμι. Charitatem cum erga Deum, & hoc primò; tum erga homines. Inque eâ unâ, ut ἐνὶ λόγῳ, omnis completur & lex, & obſervantia. Nihil equidem mutuæ inter nos charitati & amori fraterno præpoſuero, videlicet divini ſocio, indici, argumento. Cœleſtis ſapientiæ characterem hunc conſtituit ſacer Dei ſermo, ut pacifica ſit; quæ ex adverſo acerbum zelum parit & contentionem, terrena dicitur, animalis, diabolica. Vigebit ſpero, ſaltem operam dabo ne unquam per me interrumpatur, alta pax & concordia, nullis magis commendata, quam Theologis, nec ulli magis tempori neceſſaria, quam hodierno, & præſenti rerum noſtrarum ſtatui. Odi contendendi rixandique malam multorum intemperiem ac conſuetudinem, quibus ſola vita & voluptas eſt in igne vivere, non puro illo cœleſtique veri amoris, ſed terreno ac tartareo odii, acerbitatis, pravæ æmulationis, & pugnarum nunquam ſatis intermorientium. Mihi præ animi tranquillitate, verâ ac Chriſtianâ εὐθυμίᾳ

& amo-

Digitized by Google

& amoris ſinceri ſtudio, quo & Deum integerrime colere, & profeſſionem exornare propoſitum, nihil antiquius, nihil unquam commendatius, ſanctius denique nihil erit. Quin & cum mei cæteroquin detrimento haud vulgari pacem redimam, & ſcandala, quæ eâ ruptâ & proculcatâ oriri alias ſolent. Sed veritas, ajunt, requirit, ut contendamus, etiam ut rixemur? ut convitiemur? ut inimicemur? apage cum iſtâ tuâ veritate, quæ, niſi pacata ſit & caſta, non placet. Quaſi vero non poſſit veritas niſi contumeliis, atque hoſtilibus armis tractari, id eſt, placida ſummi Numinis filia apparatu plane diabolico deberet in ſcenam produci, & proſtitui. Quaſi non abſque alio, & graviori ſæpe vitio error propulſari queat, nec cauſa agi abſque charitatis & famæ naufragio, ipſo errore paſſim magis noxio & detrimentoſo. Non eſt, mihi credite, *Auditores*, veritatis ſtudioſus, qui non etiam pacis: & qui cauſam, quam agit, non hujus ſtudio æque proſequitur, ac illius. Sed qui leviter habitâ amoris mutui, & Chriſtianæ ubique ædificationis regulâ, in alienæ famæ viſcera lubens graſſatur, & gloriam quærit ex contumeliâ, næ is dignus eſt qui ejus mercedem experiatur in ſeipſo, & quem ſapiens nullus æſtimet, nemo niſi ſui ſimilis cupiat, hoc eſt, pariter improbus. Neque vir prudens movebitur ad

Digitized by Google

mali alicujus hominis latratus, ut qui cenſet, in nullius quidem hoc eſſe poteſtate, ut probum virum lædat, tantum ut conetur; ſed quo conatu neceſſe habeat turpiter excidere, ubi nullum contumeliarum apud animum tuum admittis ſenſum: ita ſtatuens, *injuriam vires habere nullas, niſi quas accipit ex ſenſu & opinione eas minus commode patientis*. Adeo quidem illas, illarumque auctorem nunquam melius, ex ſapientum judicio, quo hic ſcuto ſatis utique tuti ſumus, mulctaveris, quam heroico & Chriſtiano contemtu, & ſilentio. Atque hoc ſi præſtarent multi, quam eſſet in noſtrâ poteſtate vitam degere in omni tranquillitate, pace, honore? Sed jam alter peſſimo impetu injuriam infert, alter impatientiùs excipit; hinc in mutua odia, lites, bella exardeſcunt, quorum is denique eventus ſequitur, quem Apoſtolus ſignificavit: *quod ſi alii alios mordetis, & exeditis, videte ne viciſſim alii ab aliis conſumamini.* Eſt aliquod etiam pacis martyrium, quemadmodum fidei; quando quis pro conſervanda Eccleſiæ pace patitur & unione. imo quod martyrium iſti prætulit olim Dionyſius, Alexandrinus Epiſcopus, quando illud Novato, Eccleſiæ Romanæ preſbytero, ſchiſma temere facienti, eo inter alia commendabat argumento, in ſingulari ad ipſum ſuper hac re epiſtolâ, quod iſthic aliquis pro unâ ſui ipſius

Digitized by Google

ipſius animâ, illic pro totâ Eccleſiâ in pace retinendâ, pateretur. In hac communi noſtrum omnium imbecillitate, impoſſibile eſt, quin ſæpe judicia diſcrepent, ſed quibus proba mens, eadem etiam concordat in eundem ſcopum; diſſenſus ſolum eſt de mediis, quæ melius in eum colliment: ubi ſi cum debitâ animorum moderatione diverſæ ſententiæ diſcutiantur & ponderentur, adeo non obſtabit iſthæc diverſitas, ut ſic demum ex puteo veritas emerſura, & ut ex commodo lapidum colliſu, modo ne frangantur, ignis; ita ex opinionum iſtarum conflictu ſæpe ſe aliquid offert, quod nullis hactenus ſatis compertum, inde, quæ vis eſt animorum in pacem & commune bonum ruentium, utriſque placet. Ecquis omnibus horis, quis vel ullibi unquam ſatis ſapit? & non nævos in ſe eoſdem, ſæpe etiam graviores, patitur, ac in aliis deprehendit, & forte inclementer exagitat? Officii quidem noſtri eſt videre, quo pacto ſemper idem ſapiamus omnes, ſed ut optandum hoc ſit, forte & in præcipuis obtineatur, at in ſingulis rerum apicibus idem urgere velle nimium, & ſub jacturâ amicitiæ imperare, certe non eſt animi ſortis ſuæ & infirmitatum benè memoris. Quare ita ſemper ſapere oportet, ut imbecilliores alios ferendos; omnes comiter inſtruendos; nos ipſos emendandos nunquam non

Digitized by Google

ſciamus. Adhibendus animus, qualē diximus, probus, pacificus,diligens: atque ut pacis tuendæ cauſâ hæc mihi ſemper ſtetit ſententia : *partes nec facere, nec ſequi.* ita pro diligentia & probitate,Stridonenſis preſbyteri continuo recordor: *facito aliquid operis, ut te ſemper Diabolus inveniat occupatum.* Studiis quidem nihil æque neceſſarium, ac diligentia. In Athenienſi olim Academiâ Pallas conſpiciebatur, & Hercules, & olea : ut opinor, ſignificare voluerunt, ſapientiam cum labore ac pace adiri atque teneri. Quæ noſtris eo magis Scholis applicanda, quo altioris ordinis ſunt, ſtudiique, σχολαὶ, non σχολαὶ; imo non Scholæ magis,quam Eccleſiæ,quam templa. Adamantinos eſſe oportet, quod cognomen Origeni ob laborū aſſiduitatem olim datum: atque ad ſtudia adferre ψυχὴν ὀργῶσαν εἰς μαθήματα. Sed in vanum omnis labor, ſi deſtituatur ſuo juſto ſcopo, qui probitas, qui pax eſt, ſuoque ſub Deo præſidio,& divini Spiritus influxu. Hunc in omnibus neceſſarium , & primo loco requiri ſolus is ignorat, qui neglecto Deo ſtudia curare ſe poſſe vanè autumat. Equidem hoc Lutheri ſapiens ſanctumque effatum comprobo , quod bene oraſſe, quoque ſit benè ſtuduiſſe. Et ne dixiſſe hoc, vel laudaſſe ſatis videatur, jam nunc, quia in muneris, ſequutorumque ſtudiorum exordio Dei opem & Spiritum

Digitized by Google

Spiritum enixis votis implorandum, ſimulque pro benignâ & copioſâ ejus in Remp. Eccleſiam, & Academiam benedictione preces faciendas, omnes credo mecum ſtatuitis, *hoc agamus*, & me rite præeuntem, quæſo *Auditores*, devotis animis proſequimini.

Summe ac clementiſſime Deus, boni omnis & ſapientiæ ſalutaris fons; Scholarum, ac præcipuè Theologicarum auctor, ſoſpitator: rogamus Te ſupplices, ut divino Tuo ſpiritu & benedictione, cum alias, tum hanc noſtram proſequi placeat & beare Academiam. Tua eſt, in loco, à Te hunc in finem per miraculum ſervato ac vindicato, erecta, in Tui Nominis gloriam, & bonum Eccleſiæ, atque Reipublicæ. Illam tuæ curæ & favori commendatam accipe, &, prout hactenus, conſerva, in ultimam uſque poſteritatem. Sit juge & fidum eruditionis, probitatis, & virtutis omnis domicilium; nec Te unquam pœniteat hic fixiſſe ſedem, focum, & altare. Da, ut fideles omnes exiſtamus œconomi gratiæ tuæ, & myſteriorum nobis in Scholæ tuæ uſum ædificationemque commiſſorum; ut ſub ductu & curâ noſtrâ Juventus omnis, præſertim ſacris dicata, vigeat ſuis ſtudiis, profectu, vitâ: & virga Aaronis jugiter floreat in conſpectu tuo, & Eccleſiæ. Sumus omnes Tui, Tibi in ſoli-

 dum

Digitized by Google

dum mancipati & Doctores, & Studioſi : concede quæſumus benigniſſime Deus, pro ſolâ & ſolitâ tuâ in hunc locum clementiâ, ut quique officii ſui bene memores, fideles ac diligentes deprehendamur in eâ, quâ nos collocaſti, ſtatione; neque deſint ſibi, immo nec Tibi, ſeu hi, ſeu illi; ſed invicem docendo diſcendoque, ita gloria Tibi conſtet beneficiorum hic non male poſitorum, & nobis fructus conſcientiæ non ſegniter ſacris Tuis operatæ. Sic Patriæ noſtræ benedicas, ſic Eccleſiæ, ſic Academiæ: ſic nobis, quotquot hic coram Te conſiſtimus, omnibus, ſingulisque; & denique ſervo Tuo inter illos infimo, humillimoque, cui nunc os adaperuiſti, ut Te hinc loquatur Tuis, & Tibi totus vivat Soli, ac ſemper, Te Uno ſecurus, & plenus, & beatus, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Cui in unitate S. Spiritus, laus & honor debentur, & omnia.

DIXI.

Digitized by Google

39

1044.23

Digitized by Google

1044.23
2
Digitized by Google

40

40

1044.23

Digitized by Google

1044.23
Digitized by Google

Digitized by Google

Ditta SALVAREZZA s.a.s.
RESTAURO
Via A. Cervi 5 - Roma

Digitized by Google

Digitized by Google